

runt. (2) non quæritur quid aliis in locis scripturæ contingat, sed quid hîc sit statuendum.

Argumentamur præterea *A MASORETARUM DILIGENTIA*. Quantâ industriâ hi in verba Codicis Hebraici inquisiverint, quanto studio omnia, quæ cum communi loquendi consuetudine non conveniunt, annotârint, nullius cognitionem (ne ipsos quidem Pontificios excipio) subterfugit. Adeat quis eorundem *Marginalia*, adeat Clariss. Dn. *Buxtorfii Tiberiadem* & summam eorum sedulitatem experietur. Nos hîc tale exstruimus *argumentum*:

Quamcunque lectionem, ab usitata indole linguæ defleatentem Masoretæ, qui aliâs quamplures non tam insignes variationes observarunt, planè siccò pede transeunt, illa non est vero similis.

Sed hæc Pontificiorum lectio est talis, uti fateri debent. Ergò &c.

Excipit Huntlaus cap. 18. m. 8. pag. 87. multa esse loca, in quibus nihil corrigendum putârint Masoretæ, quamvis in illis ponantur verba mascul. generis pro fœmininis, propterea quod jungantur nominibus collectivis ut Esa. 51. 8. Jer. 3. 3. cap. 4. 14. Ezech. 12. 4. Nah. 3. v. 11. Cant. 2. v. 7. cap. 5, 8. cap. 8, 4. Resp. 1. Huntlaus disputat ex falsa hypothesis. Existimat enim nomen לְוָנִים esse nomen collectivum, cujus assertionis falsitatem postea detegemus. 2. Debuisset distinguere inter observationes seu correctiones ejusmodi loquendi modi, qui Hebrææ linguæ admodum familiaris est; & inter observationem ejusmodi formulæ loquendi, cujus pauca vel planè nulla similia dantur exempla. Si vel maximè ipsi concederetur in aliquot locis, ad quorum classem dicta allegata referantur, Masoretas nihil vel annotâsse vel correxisse, tamen adhuc nostrum subsisteret argumentum, quippè quod de insigni aliqua variatione & planè inusitata loquendi forma agit. Ipsi enim Pontificii non possunt simile afferre exemplum, ubi fœmininum cum verbo & affixo eò modò ut in nostro loco constructum reperiatur. Cæterum illa accusationum plaustra, quæ ibidem Huntlaus